



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. De primo Excommunicationis effectu, qui est privare hominem
suffragiis communibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

animo, sed ex impotentia, aut ignorantia, non est suspectus de hæresi. Si demum per aliquod tempus infra annum obdurato animo perseveret, puniendus est aliqua temporali pœna, ut docet Covarr. cum aliis. Ultimæ effectus remotus est infamia, ex cap. *Infamis, quest. I.*; ubi Stephanus Papa inter personas, quæ secundum Canones habentur infames, enumerat excommunicatos. Sed de effectibus immediatis sigillatim agendum.

ARTICULUS II.

De Primo Excommunicationis effectu, qui est privare hominem suffragiis communibus.

- I. *Non privatur excommunicatus suffragiis, seu subsidiis spiritualibus, quæ habentur a Christo Domino per missæ Sacrificium, aut quæ ab aliquo fidei habentur, in quantum est persona particularis, sed solum iis, quæ habentur ab Ecclesia, dum publice orat, Sacrificium offert, & Indulgentias largitur.*
- II. *Minister Ecclesiæ, in quantum est persona publica, illicite simul, & invalide offert pro excommunicato Sacrificium, ac orationes, aut Indulgentias dispensat; valide tamen, & licite in quantum est persona privata pro eodem orat, ac offert actionem ipsam sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis.*
- III. *Fructus Sacrificii ex opere operato valide, sed illicite pro eo offertur a Sacerdote in quantum Christi ministro. Tres quippe veluti personas Sacerdos representat.*
- IV. *Cur Ecclesiæ die Parasceves pro hæreticis, & pro non baptizatis oret?*
- V. *Probabilius etiam in divinis licet*

tum est cum excommunicato tolerato communicare.

VI. *At probabilius nullatenus licitum est publicas preces pro excommunicatis contritis offerre.*

I. **Q**uæritur primo; Quid sit, excommunicatum privari communibus Ecclesiæ suffragiis?

Respondeo, suffragia nihil aliud esse, quam spiritualia quædam subsidia, quibus fideles tam vivi, quam defuncti juvantur, sive quoad satisfactionem pro pœna temporali, sive quoad meritum de congruo, seu impetrationem aliquorum bonorum vel spiritualium, vel quæ ad spiritualia conferunt. Triplex autem in Ecclesia datur suffragium, seu spirituale subsidium. Primum est a Christo Domino pro nobis offerente Sacrificium missæ ministerio Sacerdotis. Secundum est ab Ecclesia, quæ per suos ministros publice orat, Sacrificium offert, & de thesauro Ecclesiæ satisfactiones dispensat, ut diximus cum de Indulgentiis. Tertium est a quolibet fidei, in quantum persona particularis est; sæpe enim unus pro altero orat, suasque satisfactiones pro illo offert.

Certum est nunc, subsidio spirituali primi, & tertii generis non privari excommunicatum, cum ea non sint Ecclesiæ suffragia; Etenim independenter a qualibet dispositione Ecclesiæ & Christus Dominus offert pro nobis suum Sacrificium ministerio Sacerdotis, & quilibet offerre potest pro altero suas orationes, & satisfactiones Deo; Unde subsidium primi generis, licet sit suffragium commune, non est tamen commune suffragium Ecclesiæ; subsidium vero tertii generis est suffragium privatum; Quare solum subsidium secundi generis dicitur suffragium Ecclesiæ commune, & hoc tantum privatur excommunicatus;

tus; Unde non potest Ecclesia per suos ministros publice pro excommunicatis orare, nec pro iis Sacrificium offerre, aut indulgentias dispensare; ut communiter docent, ex cap. *A nobis, de sententia excommunicationis.*

II. Notandum hic primo, quod si minister Ecclesie in quantum talis velit pro excommunicato publicas orationes, aut indulgentias applicare, illicite simul, & invalide operabitur; sicut si servus divitias domini dispensaret in personas a domino exclusas, nullum jus transferret in illas, & invalida esset dispensatio. Si tamen minister Ecclesie non in quantum minister, sed ut persona privata pro excommunicato oret, aut recitet pro illo divinum officium, & licite, & valide operabitur, ita ut illi prodesse possint orationes privatae.

III. Notandum secundo circa sacrificium ex Con., Bonac., Escobar, quod si Sacerdos offerat pro excommunicato actionem ipsam sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, licite, & valide operabitur, & poterit excommunicato prodesse; non secus ac si alia persona privata, qua eidem Sacrificio circumstant, privatim pro eo oret. Si vero offerat Sacrificium pro excommunicato, in quantum est minister Ecclesie, illicite, & invalide, ut diximus, operabitur; hoc est nihil proderit Sacrificium excommunicato quoad impetrationem, cum Ecclesia non intendat pro illo orare. Si demum velit applicare excommunicato fructum Sacrificii, qui habetur ex opere operato, illicite, sed valide operatur. Illicite quidem, quia id ageret ut Christi minister dispensando fructum Sacrificii; atque adeo ageret tanquam persona publica, non privata; Ageret tamen valide, quia non applicat Sacrificium ut minister Ec-

clesiae, sed ut minister Christi, ex cuius, & non Ecclesiae institutione confertur fructus ex opere operato. Itaque in Sacerdote tres veluti personae considerari possunt. Prima Christi Domini, quam representat, & cuius est minister. Secunda Ecclesiae, cuius est etiam minister. Tertia privata: Neque in persona Christi, neque in persona Ecclesiae potest Sacerdos pro excommunicatis orare; licet enim Christus Dominus possit ad libitum offerre Patri pro quolibet suum Sacrificium, non potest tamen ejus minister, in quantum minister est, sed solum in quantum persona privata; sicut quilibet ex astantibus, de quibus in Canone dicitur: *Qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* Unde habes, in hoc differre Sacrificium a publico ministro oblatum nomine Christi, aut Ecclesiae, ab eodem oblato nomine privato ipsius Sacerdotis; quod offerens nomine Christi, aut Ecclesiae sustinet personam publicam, & offert illud secundum valorem operis operati: Contra vero, si offerat nomine proprio, sustinet personam privatam, & offert illud secundum valorem operis operantis. Ubi demum advertite cum Bonac., quod orationes privatae, & quodcumque offertur secundum valorem operis operantis perdunt valorem ab indignitate, seu a peccato mortali offerentis: Secus vero orationes publicae, & quodcumque offertur secundum valorem operis operati; quia universim non solum habent valorem ab ipso orante, & offerente, sed etiam ab Ecclesia, vel Christo Domino, cuius nomine offeruntur.

IV. Oppones: Ecclesia in die Parasceves orat publice pro haereticis, & Schismaticis, qui absque dubio sunt excommunicati, quamvis tolerati: ergo falsum est, quod non possimus pro excommunicatis publice orare.

Re-

Respondent aliqui cum Sylvest., Covarr., & aliis, licitum esse orationes publicas, & sacrificium offerre pro excommunicatis in genere, quia non applicantur illis in tali casu bona opera Ecclesiae, ut profint illis etiam perseverantibus in excommunicatione, sed ut ab excommunicatione liberentur, & ad Ecclesiam, a qua fuerunt praecisi, confugiant. Alii respondent, licitum esse publicas preces, & sacrificium offerre pro excommunicatis toleratis, quod infra examinabimus. Communior tamen, & verior sententia docet cum Pal., & Avil., velle Ecclesiam die solum Parasceves publicam illam orationem fieri pro haereticis, necnon aliam pro non baptizatis, ut ostendat passionem Christi Domini, quae eo die representatur, quantum est ex se, esse pro omnibus; & ut ipsa Christum imitetur, qui tempore suae passionis oravit pro inimicis; Unde alio die pro iis publice orare non licet neque in particulari, neque in generali, nec ut ab excommunicatione liberentur; hoc enim esset directe pro illis orare, quod est illicitum. Licitum tamen est indirecete pro illis publice orare, & sacrificium offerre, petendo scilicet a Deo extirpationem haesum, exaltationem Sanctae Matris Ecclesiae, & fidei dilatationem.

V. Queritur secundo; An saltem pro excommunicato tolerato possint publice preces, & sacrificium offerri?

Respondent negative Suar., Avil., Bellarm., Vasq., Bonac.; quia Ecclesia excludit omnes excommunicatos ab huiusmodi suffragiis, & quantum est ex parte sua, tradit eos potestati demonis, ex 1. ad Timoth. 1. Praeterea Concil. Constant. solum ad vitanda scandala concessit communicationem externam cum excommunicatis toleratis, ut in audienda missa, in

recitando officio, non vero internam; cum in hujus privatione consistat ratio excommunicationis. Adde, quod Concil. expresse dixit, nihil concedere in favorem excommunicatorum; maximus autem esset favor excommunicatorum toleratorum, si possent pro iis fideles suffragia offerre.

Sed probabilior est sententia affirmativa, quam sequuntur Con., Henr., Hurt., Laym., Pal.; quia Concil. Constant. absolute concessit, ut possint fideles communicare, etiam in divinis, cum excommunicatis toleratis: ergo gratis limitatur ista concessio ad communicationem externam, & non internam per participationem suffragiorum. Praesertim quia hoc est proprie communicare in divinis, & talis communicatio in Ecclesia dicitur *Communio Sanctorum*; unde in Ecclesia idem est posse cum aliquo communicare, ac posse pro eo publicas orationes, & sacrificium offerre. Ad id, quod objicitur, respondeo, quod sicuti dum permittit Ecclesia communicationem civilem cum excommunicatis toleratis, favet illis tantum indirecete, sed favet fidelibus directe; ita pariter dum permittit communicationem in divinis, non favet excommunicatis directe, siquidem non possunt a nobis petere huiusmodi suffragia; sed favet illis indirecete concedendo fidelibus, ut possint pro illis orare; sic enim magis vitatur omne scandalum, & tollitur omnis scrupulus; quod intendit Concilium.

Dices; in *Clement. 1., de Sepulchris* excommunicantur, qui scienter excommunicatum sepeliunt; ergo sicut quilibet excommunicatus, etiam toleratus, carere debet sepultura, ita etiam participatione suffragiorum Ecclesiae.

Respondeo cum Pal. disp. 2. punct. 6., Henr. lib. 13. cap. 2., & aliis, post Concil. Constant. id intelligendum

dum esse tantum de excommunicatis non toleratis; unde potest excommunicatus toleratus sepeliri in Ecclesia sine ulla culpa.

Hinc sequitur primo, quod si excommunicati tolerati sint dispositi, possit illis prodesse applicatio indulgentiarum, necnon fructus sacrificii, & orationis publicæ quoad valorem pendentem ex intentione Ecclesiæ; quia tamen excommunicatis non toleratis prodesse non possunt.

Sequitur secundo, posse nos licite pro hæreticorum reductione Sacrificium offerre, non solum indirecte, petendo extirpationem hæresum, & fidei dilatationem, sed etiam directe; cum hæretici sint excommunicati tolerati, ut notant Pal. num. 10., Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 2.; Quamvis, ut advertit Laym., cavere debeat Sacerdos, ne contra Ecclesiæ morem hæreticos in missa nominet.

VI. Queritur tertio; An licitum sit preces publicas, & Sacrificium offerre pro excommunicatis contritis, per quos non stetit, ne ab excommunicatione fuerint absoluti?

Respondeo, Avil., Reginald., & alios affirmare; quamvis enim illicitum sit pro iis nominatim publice orare, non videtur tamen illicitum secreto pro iis Sacrificium offerre, & publice orare pro iis in generali; quia non videtur credible, quod pia Mater Ecclesia velit suffragiis suis privare eos, qui a contumacia recesserunt, & in Dei amicitiam sunt recepti. Communior tamen sententia negat cum Suar. disp. 9. sect. 3., Vasq., Con., Hurt., Bonac., quia quamvis potuisset Ecclesia eos non excludere, de facto tamen exclusit a participatione communium suffragiorum: Quod ex eo constat, tum quia in cap. *A nobis* non fit exceptio excommunicati contriti; tum etiam quia Innoc. III. in cap. *Sacro*, de *sententia ex-*

communicationis negat esse publicas preces offerendas pro excommunicato defuncto, qui ante mortem signa contritionis exhibuit, & petiit absolutionem, antequam ab excommunicatione absolvetur. Et ratio a priori est, quia excommunicatio non tollitur contritione, sed absolutione; Quare sicut non potest excommunicatus contritus ante absolutionem occulte celebrare, aut Sacramenta recipere, ita nec potest Ecclesiæ suffragiis frui.

Dices: Finis excommunicationis est emendatio delinquentis; ergo cum reus per contritionem sit emendatus, cessat finis excommunicationis, & consequenter cessat excommunicatio, ejusque effectus.

Respondeo, cessante fine excommunicationis cessare debet excommunicatio eo modo, quo cessare potest, videlicet per absolutionem; unde hac non præmissa non cessat excommunicatio, nec ejus effectus.

Dices secundo, per contritionem excommunicatus evadit membrum vivum Ecclesiæ; ergo debet aliorum membrorum subsidis vegetari; non enim amplius est recisus ab aliis, nec debet haberi ut canis, cui non sit mittendus panis filiorum, ut notat Sayr., & Covarr.

Respondeo, quod quamvis per contritionem sit membrum vivum, est tamen adhuc recisus a corpore quoad participationem suffragiorum Ecclesiæ, donec absolvetur; Non est utique habendus tanquam canis; illi tamen non debetur panis filiorum, donec per absolutionem corpori Ecclesiæ iterum uniatur.